

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput XLIV. Continens Historiam, De Vocatione Matthei, Matth. 9. Marc.  
2. Luc. 5.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT XLIV.

CONTINENS HISTORIAM, DE VOCATIONE MATTHÆI, MATTH. 9.  
MARC. 2. LUC. 5.

## RATIO ORDINIS.

**N** proximo capite historiam paralytici ex notatione Marci & ex consensu Lucae posuimus. Consentient autem Evangelistæ post illam historiam subsecutam vocationem Matthæi. Matthæus enim post paralyticum in domo sanatum subjicit: (Et illine transiens vidit Matthæum.) Lucas

verò post gesta in paralytici historia subdit: (Et post hac exiit, &c.) Atque in hoc ordine Marcus etiam consentit. Series igitur consecutionum historiarum hoc loco certa & manifesta est: ut post sanationem hujus paralytici, proximoloco historia vocationis Matthæi in Harmonia collocetur.

## HISTORIA VOCATIONIS.

## MATTH. 9.

9. Καὶ παρεγύων ὁ Ἰησὸς ἐκθενέδειν ἀνθρώποιν κατημενούσιν τῷ τελῶνιν, Ματθαῖον λεγόμενον, καὶ λέγει αὐτῷ ἀκολεύθει μοι. καὶ ἀναστὰς ἤκολεύθησεν αὐτῷ.

13. Καὶ ἔγινε τὸ πάλιν ταχὺ τὴν Θαλασσαν. καὶ πᾶς ὁ ὥχλος ἦχετο πρὸς αὐτὸν καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς.

14. Καὶ παρεγύων ὁ Ἰησὸς ἐδειπή τὸν Ἀλφαῖον καθῆμεν επὶ τῷ τελῶνιν, καὶ λέγει αὐτῷ Ἀκολεύθει μοι. καὶ ἀναστὰς ἤκολεύθησεν αὐτῷ.

## MARC. 2.

27. Καὶ μετὰ ταῦτα ἔξῆλθε, καὶ ἀπεστάτη τελῶνιν ὄντα τὸν Λευὶν, καθῆμεν επὶ τῷ τελῶνιν, καὶ ἐπέντε αὐτῷ Ἀκολεύθει μοι.

28. Καὶ κατατάπισσὸν ἀστάτα, ἀναστὰς ἤκολεύθησεν αὐτῷ.

13. Et egressus est rursus ad mare, omnisq; turba veniebat ad eum, ac docebat eos.

14. Et cum præteriret Jesus, vidit Levi, Alphæi filium sedentem ad telonium, & ait illi: Sequerere me. Atque surgens, secutus est eum.

## LUC. 5.

27. Et post haec exiit, ac vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad telonium, & ait illi: Sequerere me.

28. Atque relictis omnibus surgens secutus est eum.

## HARMONIA HISTORIÆ DE VOCATIONE MATTHÆI, EX DESCRIPTIONIBUS, MATTH. 9. MARC. 2. ET LUC. 5. IN UNUM CORPUS COAGMENTATA.

¶ Καὶ μὲν ταῦτα παρεγύων ὁ Ἰησὸς ἐκένθει, ἡ ἔγη-

θεῖ τὸ πάλιν τῷ Θαλασσαν. καὶ πᾶς ὁ ὥχλος ἦχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς, καὶ παρεγύων ὁ Ἰησὸς ἐδειπή τὸν Ἀλφαῖον καθῆμεν επὶ τῷ τελῶνιν ὄντα τὸν Λευὶν τὸν Ἀλφαῖον, οὐαὶ θημένον ὅτι τὸ τελῶνιν, οὐαὶ Ματθαῖον λεγόμενον. Καὶ λέγει αὐτῷ Ἀκολεύθει μοι. καὶ κατατάπισσὸν ἀστάτα, ἀναστὰς, ἤκολεύθησεν αὐτῷ.

c Et post haec a transiens Jesus illinc, h egressus est rursus ad mare, omnisq; turba veniebat ad eum, ac docebat eos, & præteriret Jesus I vidit a hominem c publicanum nomine Levin b Alphæi filium, I sedentem ad telonium, a qui dicitur Mattheus. Et ait illi: Sequerere me. c Et relictis omnibus surgens, secutus est eum.

## Perioda hujus Historia.

L ucas dicit Jesum post hæc (qua scilicet circa curationem paralytici gesta fuerunt) exiisse: Matthæus dicit transisse. (Ἄγγελος enim Syrus reddidit ΤΒ illinc, scilicet ex domo, & ex Caper-nau, ubi paralyticus sanatus fuerat. Marcus vero addit, ipsum ad mare rursus egressum: & omnem turbam, cum ipium civitate exiisse cognovissent, venisse ad ipsum circa mare. Quare autem in Marco vocetur πᾶς ὥχλος omnis turba, inde intelligi potest: in domo sanationi paralytici interfuerant multi, sicut Marcus dixit: sed præter hos in plateis multi viderant paralyticum sanatum grabbatum suum gestantem: & insuper multo plures fama illa excitati fuerunt. Illa tota turba non quidem comitata fuit Jesum ex eum (talem enim turbarum comitatum ne seditionis speciem haberet, plerumque fuigit) sed, sicut Marcus

inquit, veniebat ad eum, cum jam exiisset ad mare. Ergo postquam cognoverunt ipsum c civitate & domo egressum, secuti sunt, donec ad eum venirent. Cumque major pars ex curiositate ad videnda miracula concurreret: Jesus non curiositati ipsorum indulgebat, sed ea occasione docebat eos, inquit Marcus. Capita vero doctrina Marcus hoc loco non repetit: quia antea illa consignaverat. Sed quia tota multitudine, sicut Marcus inquit, congregata erat, non brevem fuisse concessionem verisimile est. Ordo igitur hujus historia non ita se habet, sicut quidam existimant, quasi Jesus, domo sua egressus, telonii domum alicubi in civitate existentem præterierit, ac in civitate Matthæum vocari: Sed sicut Marcus inquit: ex civitate exiit ad mare: atque ibi turbas ad se congregatas docuit. Post concessionem vero ad

ad ripam latius progressus, præterit domum te-  
lonii, ubi Matthæus sedebat. Cumque turbæ ex-  
pectarent externum aliquod stupendum miracu-  
lum: Jesus vim & efficaciam verbi sui in vocatione  
Matthæi ita ostendit, ut dives publicanus, relictis  
omnibus, statim Christum pauperem sectaretur.  
Antea enim virtutem & efficaciam verbi sui ope-  
rationem ostendit: 1. insanis morbis. 2. in re-  
mittendis peccatis coram Deo. 3. jam in Matthæo  
ostendit turbis ejus verbi, quod in concione au-  
derant, vim & efficaciam in vocandis illuminan-  
dis, trahendis, convertendis & in melius commu-  
nandis hominum cordibus & voluntatibus.

Sed vocabula & circumstantias hujus historiæ  
diligentius aliquantò expendemus. Lucas vocat  
*τελόνην*: sicut ipse etiam Matthæus cap. 10. vers. 3.  
hanc appellationem sibi tribuit. Et quia bona po-  
puli Romani vocabantur publica: inde in jure pu-  
blicani vocantur omnes, qui à fisco aliquid con-  
ducunt: præcipue verò eum, qui publica populi  
Romani vectigalia conducta habet publicanum  
appellant. Et ita eruditæ censem, *τελόνην* dictum,  
*τελονίαν*, ab emptione, seu potius re-  
demptione vectigalium.

Certa enim summa pecunia publicum ali-  
quod vectigal redimebant, & quod ultra illam  
summam fraudibus, exactiōibus & rapinis cor-  
raderi poterant, id in lucrum ipsis cedebat. Et  
præterea, quia in promptu habebant pecuniam,  
usuras publicè exercabant. Suidas simpliciter  
interpretatur *τελόνην*, hoc est, exactorem tributo-  
rum, vectigalium, qui omnia scrutatur & inqui-  
rit, ut rigidissime vectigal colligatur. Verbum *τε-  
λονίαν* usurpatur, 1. Mac. 13. v. 39. quando victi  
hostibus superioribus tributarii facti, imposita tri-  
buta pendent & solvunt. Erat autem genus illud  
vitæ etiam apud Athenienses, propter exactio-  
num iniquitatem, & propter usuras, infame. Apud  
Iudaos verò habebatur quasi sceleratum & impi-  
um, propter hanc etiam causam, quod putabant  
electo populo Dei, qui jam tributariorū & vectigal-  
lis factus fuerat Romanis & Herodi, jugum exter-  
na dominationis non posse sine insigni impietate  
imponi: & quia vectigalia seu tributa sunt qua-  
si recognitio & professio dominii, ideo publica-  
nos, tanquam ministros externæ dominationis,  
abominabantur, maximè quando ex Iudaos ali-  
quis publicanum gerebat. Is enim putabatur  
esse apostata, & abnegatur totius religionis Ju-  
daicæ. Sed Baptista de hac quæstione interrogat-  
us, ipsum vitæ genus per se non damnavit, si ex-  
actiones non extendantur ultra id, quod legibus  
constitutum est, Luca 3. vers. 12. Pertinet igit-  
ur ad declarationem historiæ hujus & aliarum,  
considerare, quare Christus ipse publicanos nu-  
meret inter notorios peccatores. Colligitur au-  
tem ex historia Evangelica, fuisse publicanos  
fraudibus, rapinis & injustis exactiōibus dedi-  
tos. Zachæus enim restitutiōne quadruplici fate-  
tur furtum & rapinam: & artificium quæstus pu-  
blicanorum vocat Sycophantiam. Baptista etiam  
contra commune publicanorum vitium opponit  
hanc regulam. Non exigatis plus, quam legibus  
constitutum est. Et hæc vitia publicanorum tam  
fuerunt vulgaria & notoria, quod à sanioribus et-

iam Ethnicis notata & damnata fuerint. Apud  
Athenienses enim & genus vitæ publicanorum,  
& ipsum nomen infame & invisum fuisse, Suidas  
ex Aristophane ostendit. Ulpianus etiam inquit:  
Quanta audacia, quantæ temeritatis sint pu-  
blicanorum factiones, nemo est quinelicit. Sui-  
das hæc variis modis describit, τελόνης πενιχρού  
αιώνιον θάλασσαν οὐρανούντος πέπλου  
ζεία, πραγματεία λόγον μη εχούσα, hoc est, Publicana-  
tus est vis liberrima, rapina extra reprehensio-  
nem, quæstus impudentissimus, negotiatio non  
habens rationem. Et Chrysostomus inquit: Te-  
lonium putatur rapina permissa.

Hæc consideratio vocabuli idèò hoc loco uti-  
lis est. Est enim illustre exemplum Dei, vocantis  
etiam publicos & enormes peccatores ad pœni-  
tentiam, & ad communionem regni cœlorum:  
ut discamus, vocationem ad salutem pendere,  
non ex dignitate meriti seu operibus Justitiae, sed  
ex gratiâ Dei bonitate & misericordia in Chri-  
sto. Hanc enim explicationem Christus ipse post-  
ea in domo Matthæi tradit: Non egent qui sani  
sunt medico, sed qui malè habent. Item: non ve-  
ni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.  
Et eò illustrius est hoc exemplum, quod Matthæ-  
us vocatur non simpliciter ad pœnitentiam, fi-  
dem & salutem, sicut Zachæus & alter publica-  
nus, Luc. 18. v. 14. & qualis est generalis omnium  
credentium vocatio: sed ex telonio vocatur ad  
munus Apostolicum: & quidem ut sit inter preci-  
puos Apostolos. Soli enim Matthæus & Johannes  
simil & Apostoli & Evangelista fuerunt: ut scili-  
cet ipsa Matthæi persona, publicè præ se ferret &  
ostenderet illam gratiam Dei, quam verbo Evan-  
gelii prædicatur erant, sicut Paulus de sua voca-  
tione disputat, 1. Tim. 1. vers. 13. Reliquos autem  
Petrum, Andream, Jacobum, Johannem à reti-  
bus & piscatione vocavit, ut ostenderet se ea, quæ  
coram mundo vilia, despœta, ignobilia & abjecta  
sunt, non aversari in suo regno, 1. Cor. 1. vers. 27.  
Sed piscatio, licet genus vitæ vile, contemptum &  
abjectum sit: honestum tamen & innoxium est.  
Matthæum igitur ex Telonio, hoc est, ex ipsa offi-  
cina fraudum & rapinarum vocavit, ut peccatori-  
bus ostenderet certam spem gratie & venia, si  
convertantur. Imo Christus ipse inquit: Se vo-  
luisse hoc exemplo ostendere, quod venerit mi-  
nisterio suo vocare ad pœnitentiam & ad regnum  
suum non justos, sed peccatores. Nomen ejus  
Marcus dicit fuisse Λευΐ, Lucas accusativum ponit  
Λευΐν. Quidam inde faciunt conjecturam, quod  
fuerit ex tribu Levi. Et hæc conjectura concinnè  
potest accommodari ad doctrinam: Matthæum  
scilicet non simpliciter peccasse suo publicana-  
tu, sicut Zachæus & reliqui, sed peccatum iqlsius  
etiam hæc circumstantia gravius redditum fuisse,  
quod fuerit ex tribu Levi, quæ ab ipso Deo sepa-  
rata fuit: ut doctrinæ & cultui templi inserviret.  
Matthæum verò Levitam, spreta & abjecta illa  
Levitum vocatione, publicanorum officinis  
operam suam prostituisse. Et Jesum, cum vi-  
deret illum ibi sedentem, misertum, vocasse eum.  
Posset & illud Malach. 3. vers. 3, huc accommo-  
dari, quod scilicet Jesus, cum ex Sacerdotibus  
& Levitis paucos credentes haberet, in voca-  
tione hujus Levi voluerit toti tribui, quæ tem-  
plum

plum fecerat dominum emporii ostendere, quomodo purgaturus sit filios Levi, ut sint Domino offerentes sacrificia in justitia. Sed tamen conjectura illa ex nomine Levi, quod ideo ex tribu Levi fuerit, non est satis firma. Nam Luc. 3. vers. 24. & 29. in tribu Juda duo recensentur, qui nomen Levi habuerunt. Et qui ex tribu Levi fuerunt, non Levi sed Levitæ, Luc. 10. v. 32. Joh. 1. v. 19. dicebantur. Hoc vero certum est, cum Levi Iudaicum nomen sit, quod Matthæus non Romanus sed Judæus fuerit.

Patrem ipsius Marcus vocat Alphæum: sed qualis aut ex qua tribu fuerit non explicat. Hoc certum est, alium esse Alphæum, qui fuit Pater Jacobi, fratri Domini, Marc. 3. v. 18. Luc. 6. v. 15. Ipse vero Levi vocat se Matthæum, quod nomen origine quidem Hebraicum est, sed terminatio ne inflexum est ad formam græcorum nominum. Alias enim est, vel Matthai, vel Matthan, vel Matthath, vel Matthias. Et verisimile est, cum publicanus factus esset, nomen ejus ab exteris ita inflexum fuisse, ut qui alias inter suos Levi erat, inter publicanos vocaretur Matthæus. Et non mala est sententia Hieronymi: cum reliqui Evangelistæ in hac historia Matthæum appellant Levi, quod ipse Levi notet se usitato suo inter publicanos nomine Matthæi, quod quasi insigne fuit publicanus sui, ut quasi gratitudinis ergo, & ad perpetuam Ecclesiæ memoriam, testimonium illud gratiæ Dei, omnibus peccatoribus in sua persona exhibita, commendaret: qualis scilicet antea fuerit, & unde vocatus fuerit. Ideo etiam in historia electionis Apostolorum, cum reliqui simpliciter ponant nomen Matthæi, ipse cap. 10. vers. 3. addit cognomentum publicani. Sed verisimilior videtur altera sententia, quod antea dictus fuerit Levi: Post vocationem vero novum hoc nomen seu cognomen Matthæi ipsi impositum fuerit, sicut & multis aliis Apostolis. Nam postea in Catalogo Apostolorum Evangelistæ ipsum non Levi, sed Matthæum, vocant. Matthæus autem hoc modo nominatus fuit, quod peculiare donum gratiæ Dei fuerit, ex publicano fieri Apostolum. Et cum significazione est convenientia. Levi significat additum. Matthæus datum, donatum.

Domum autem illam publicam, quæ exacti onibus vestigialium destinata erat, fuisse extra civitatem Capernaum ad mare descriptio Marci manifeste indicat. Fuit enim circa Capernaum, propter loci opportunitatem, frequens negotiantium trajectus, & forsitan mercibus certa vestigialia imposta fuerunt: quæ ut diligentius exigiri possent, domus extra civitatem in littore confiuncta fuit. Considerandum vero est, eadem an vero alia fuerit domus eorum qui didrachma colligebant Matth. 17. v. 24. Hoc certum est Matthæi domum in qua postea convivium instruxit, aliam & in ipsa civitate fuisse. (Jesus ergo cum transire) videt Matthæum sedentem ad telonium.) Est autem τελωνεύς seu τελωνεῖον, juxta Suidam, locus in quo publicanus sedens vestigalia colligit: ita ut intelligi possit, vel domus ipsa, sicut Syrus redidit, vel mensa in qua rationes vestigialium subducuntur. Et quia Evangelistæ usurpant præpositionem ἐπι, com-

modiū de mensa intelligitur: quod Jesus Matthæum tunc, cum non simpliciter in domo illa versaretur, sed cum rationes vestigialium tractaret, vocarit: sicut Paulum in ipso actu persecutonis vocavit.

Vocatio autem paucissimis verbis ita describitur: (*Ait ei Jesus, Sequere me. Atq. is surgens, relatis omnibus, secutus est eum.*) Insignis clementia ac bonitas Christi in hac vocatione relucet: quod non tantum pescatores, homines rudes & viles in discipulorum numerum advocaverit; sed quod videns Matthæum sedentem ad telonium, ex officina rapinarum & perditionis, ipsum ex gratia vocat, non tantum ad vulgare suorum auditorium, sed ut Apostolum & Evangelistam inde faciat. Quia vero concisa brevitas est in hac descriptione, inde prætextum arripuerunt Porphyrius & Julianus calumniandi, & hanc narrationem & totam Evangelicam historiam esse fictam: vel homines illos, de quibus talia narrentur, sine sensu communii, stolidos & insanos fuisse, quod ad unicam vocem hominis ignoti, obiter prætereuntis, non pescatores tantum, homines pauperes & simplices, verum etiam Matthæus opulentus & prudens qui propter ingenii solertiam idoneus judicatus fuerat, ut rationibus vestigialium, in præcipua Galilæa civitate, præficeretur, statim, relictis omnibus, surgens, Jesum & pauperem & contemptum ita lectari cœpit, ut perpetuus discipulus, & individuus ejus comes esset. Hieronymus his verbis respondet. Non secuti sunt irrationaliter quemlibet hominem vocantem, cum tantæ virtutes tantaque signa præcesserint, quæ Apostolos ante quam crederent vidisse vel saltem audivisse, non est dubium. Certe fulgor ipse & majestas occulte divinitatis, quæ etiam in humana facie resulgebant, evidenter ad se trahere poterat in primo aspectu. Si enim in magnete lapide hæc esse vis dicitur, ut ferrum trahat: quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos solebat. Hæc Hieronymus. Sed de fulgore divinæ majestatis, quod exterius in facie Christi relaxebat, non judico esse disputandum. Neque enim habemus certa & manifesta ejus rei in Scriptura testimonia: & videtur pugnare cum doctrina de exinanitione Christi de forma servi, de virgulto ex truncu arido & in terra sitiensi. Semel enim pro peculiari miraculo tam fulgorem divinæ majestatis in transfiguratione ostendit. Illud igitur certius est, & utilius potest tractari, ne de Enthusiastica, phanatica, arreptitia seu violenta vocatione & conversione somniemus: quod Matthæo non prorsus fuerit ignota doctrina Christi, quæ tot stupendis miraculis confirmabatur. Si enim fama doctrinæ miraculorum Christi ex Syria & Decapoli multos evocavit, sicur postea dicemus: Matthæo certè non potuit ignota esse, cum quidem habitationem suam Jesus haberet Capernum. Et consideretur quod Matthæum qui ob publicanatum prophanus factus fuerat, non statim initio vocavit sicut Philippum & Nathanaëlem: nec tunc, cum Petrum & Joannem vocavit. Illi enim jam Baptista auditores fuerant. Sed profanum Matthæi animum prius doctrina & multis miraculis præparavit, atque ita vocationi sua adiutum, sicut Augustinus loquitur, in Matthæi corde procul-

procuravit. Deinde etiam non est cogitandum, quod Jesus obiter præteriens duo illa verba tantum dixerit, (*Sequere me.*) Quia enim Matthæus intelligit se vocari ut sequatur, non sicut vulgares auditores communiter sequabantur sed sicut videbat alios discipulos, relictis omnibus ita sectari JESUM, ut quotidiana & familiari institutione formarentur ad tradendam & propagandam aliquando illam doctrinam. Jesus igitur sine dubio pluribus verbis illi explicavit doctrinam de hac vocatione. Hæc ideo diligenter consideranda sunt: ne ex hoc exemplo Enthusiasticam & arreptitiam vocationem expectemus. Illustrè autem exemplum est divinæ efficaciam verbi Christi in hac vocatione, & qualis sequatur obedientia, quando Spiritus sanctus verbum Christi scribit in corda credentium. Erat enim Matthæus dives, sicut postea splendidum convivium in domo sua instruit: habebat officium, quod annuatim quartum uberrimum reddebat: apud eos, qui cum imperio præerant, in magno habebatur pretio, sicut Cicero pro lege Manilia inquit: Publicanos olim apud Romanos habitos fuisse homines honestissimos & ornatissimos. Et pro Plancio inquit: Flos Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipubl. publicanorum nomine continetur, &c. Iam vero vocatur, ut relictis omnibus suis commoditatibus, Jesum pauperem, contemptum, & qui apud principes populi valde male audiebat, sequatur, quod idem est, ac si jubeatur, relictis sponte opibus, dignitate,

gloria & autoritate, inopiam, miserias, ignominiam & exitium sectari. Non igitur Matthæi levitas vel stoliditas fuit, sicut Porphyrius calumnianatur; sed divina efficacia verbi Christi, quæ (quod carni & sanguini non tantum difficile, sed omnino impossibile esset) operata est in Matthæo talem fidem; Hunc Jesum esse verū Messiam, quæq; omnes difficultates, quas videbat & jam propositas esse, & mox secuturas, superavit: ut Apostoli in hoc illustri exemplo discerent, ea, quæ doctrina Evangelii proponit & exigit, esse quidem apud homines impossibilia, sed Deo possibilia, idque per efficaciam verbi, ne cogitarent se frustrâ sine fructu prædicatueros ea, à quibus caro & sanguis abhorret. Et re vera miraculum hoc in vocatione Matthæi tanto majus est, quam sanatio paralytici, quanto anima præstat corpore, & quanto difficilior est animæ quam corporis curatio: cum quidem Christus etiam dicat facilius esse camelum foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum ingredi, Matthæ 19. verf. 24. Cumque homines ad externum miraculum paralytici obstupuisserint, proponit jam ipsis in spirituali paralysi Matthæi miraculum multò majus, quod statim relictis omnibus sequitur Christum. Quomodo vero Matthæus omnia reliquerit: & tamen postea habeat domum, & unde magnum convivium instruit, diximus in vocatione Petri & aliorum: de historia vero convivii suo loco dicemus.

## C A P U T X L V .

DE SECUNDO PASCHATE, HOC EST, QUOD  
INCIDIT IN SECUNDUM ANNUM MINISTERII CHRISTI,  
CONTINENS HISTORIAM DE PISCINA PROBATICA ET DE  
ÆGROTO IBI SANATO, JOHAN. 5.

## R A T I O      O R D I N I S .

**M**atthæus, Marcus & Lucas eodem modo & ordine post vocationem Matthæi historiam de convivio ipsius subiungunt: ut primo intuitu videatur hac *ἀκολοθία* historiarum in Harmonia servanda, sed post convivium Matthæi, Marcus & Lucas sine certa notatione continuationis ordinis recentent historiam de confiricatione spiritarum. Matthæus vero certa & necessaria notatio ne ordinis, post conviviu suum ponit resuscitationem filia primatis, & sanationem Hæmorrouse. Inquit enim *ταῦτα αἱρετὰ τὸν οὐρανὸν*: Loquente ipso, vel *(cum hac loqueretur cum ipsis, ecce venit primas, &c.)* Sed illas duas historias Marcus & Lucas ponunt post redditum ex transfratatione Gadarena: Illam vero transfratationem Marcus disertè & notatione, exquisita dicit factam vespere ejus diei, quando per multas parabolæ de semine Jesus locutus fuit, Marc. 4.v.35. Nisi igitur cum Osiandro velimus ex iisdem historiis, & filia primatis & de Hæmorrouse, item de transfratatione, apud Matthæum & reliquos Evangelistas, diversas facere,

non potest alia conciliatio inveniri, aut alia ratio ordinis constitui, quam quæ in tota antiquitate, inde à Tatiano Iustini discipulo usque ad Gersonem, servata fuit, sicut supra de historia captivitatis Baptista eandem etiam rationem notavimus: quod scilicet Marcus & Lucas vocationem Matthæi suo loco & ordine describant. Ea vero occasione historicæ vocationis Matthæi per anticipationem at texant historiam de convivio ipsius, quæ tamen longè post, scilicet proximè ante refusationem filia primatis, & post redditum ex transfratatione accidit, sicut ostendimus. Matthæus vero, cum historiam convivii suo loco & ordine, scilicet post redditum ex transfratatione, & ante filiam primatis describat, quod ea occasione per recapitulationem præmittat historiam vocationis suæ, antea præteritam, & quæ vocationem suam proximè præcessit, sanationem Paralytici. Ex Matthæo igitur non potest colligi aut sumi, quæ historia post vocationem Matthæi in Harmonia collocanda sit. Ex his etiam, quæ dicta sunt, consequitur, post vocationem Matthæi, recto & vero